e-codices

uirginis mariae. quae angelo sibi conceptionem annuntianti respondit. Ecce ancilla domini fiat mihi secundum uerbum tuum. Fac mecum
s. ubi. Signum utique resurrectionis signum quod praecessit ionae. Nam et dominus ipse factum illud mirabile signum uocat dicens. Gene
ratio haec signum quaerit. et signum non dabitur ei. nisi signum ionae prophetae. Ut uideant qui me oderunt. Iudei uidelicet adhuc
tes christum. quos cognita eius resurrectione constat esse confusos. adeo ut innumerabiles gallis abiecta cordis duritia con
uerterentur ad christum. Sequitur. Quoniam tu domine adiuuisti me. et c. e. m. Ordo est. uideant qui me oderunt. quia tu domine adiuuisti
me. et confundantur. Adiuuit enim deus pater contra obtrectantes. et nouis quaestionibus inpugnantes. Consolatus est in
persecutiones impiorum. quia in omnibus fecit eum semper esse uictorem.

Filii chore sunt omnes christiani imitatores christi. et stigmata crucis eius in corpore suo circumferentes. Non autem ab his ca
nitur iste psalmus. sed eis cantatur. Psalmus autem cantici eius cantatur. id est sancta operatio et laus diuinae confessionis. Funda
menta eius. Anastrophe dicitur graeca figura. id est conuersio quando id quod sequi debet praeponitur. sicut uerbi gratia hoc loco
pronominis pars. quae semper nomini naturaliter postponitur. ea qua diximus figura praefertur. Nam iste ordo fuerat ut diceret.
Fundamenta syon in montibus. s. d. d. p. e. Cogitauerat sane diu propheta. et meditatus est. apud se illius supernae ciuita
tis felicissimam pacem. et iocundissimam quietem. et quasi prius in corde de ea loquebatur. erumpit tandem in pronomen dicens.
fundamenta eius. id est illius caelestis hierusalem. de qua uidelicet pridem in mente loquebatur in montibus sanctis. Et no
tandum quod plurali numero dicit fundamenta ecclesiae. cum unum tantum habeat fundamentum. de quo apostolus. Fundamen
tum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est. quod est christus ihesus. Sunt tamen super hoc fundamentum et alia fun
damenta prophetae scilicet. qui primi de christo annuntiauerunt. primi mysteria incarnationis eius praedixerunt. Sunt etiam
apostoli. quorum doctrinae et auctoritati omnis ecclesia innititur. Diligit dominus portas sion. Syon hic. ciuitas illa intel
ligitur ex angelis et sanctis hominibus constructa in caelis. cuius portae sunt uirtutes. fides. spes. et caritas. humilitas quoque pru
dentia. temperantia. fortitudo. et iusticia. diuina sapientia. et cetera. per quas nobis panditur aditus regni cae
lestis. Possunt etiam portae illius. ciues apostoli et sancti doctores intellegi. qui primi nobis uias illius felicis patriae. et ingres
sum caelestis aulae suo primo instaurauerunt dogmate. Hic autem peratexogen portarum nomine. illius beatae ciuitatis uniuer
sitatem debemus intellegere. Quam diligit dominus. s. o. t. i. subaudi plus quam omnem praesentem ecclesiam in huius peregri
nationis stadio concertantem. Et bene cum praemisisset portas syon. addidit tabernacula iacob. Ecclesia quippe in praesenti
ut miles in procinctu militiae positus tabernaculis utitur. quibus in itinere huius peregrinationis ab aestu temptationum
protegatur. Dicendo autem super omnia tabernacula iacob. ostendit quod et praesentem diligit ecclesiam. sed plus eam diligit quae
sibi coniuncta est. quam istam adhuc exulantem. Et fundamenta origo matris ecclesiae quae sion dicitur. primum apostoli fuerunt.
post quos fundamentum sunt fidei nostrae. Ipsi et montes propter altitudinem uirtutum dicti. qui et portae nuncupantur. quia adi
tum praebuerunt ingrediendi ad fidem. Super omnes cerimonias ueteris testamenti diligit dominus sanctam ecclesiam. ubi
immolatur corpus filii sui. Licet enim illa suo tempore deo accepta fuerunt. nunquam tamen ea dilexit. sicut istam
diligit. Gloriosa dicta s. d. c. d. id est miranda dicta sunt ciuitas dei. Quae autem sunt haec miranda. ipse deus
introducitur. loquens ita. memor ero raab. In quo se ipse promittit fidem. ecclesiae suae. si se cognoscendus semper
in memoria habiturum. Memor ero inquit raab. Raab interpretatur superbia. uel altitudo. Fuit autem meretrix
hiericho ciuitatis. quae nuntios iosue excepit. et in domo sua abscondens. per murum deposuit. et per quam uiam
redire deberent ostendit. significat ecclesiam quae diabolicae seruitutis iugo educta est. in latitudinem uerae li
bertatis. et ex superbia humilis est effecta. Et memor ero babilonis. Babylon in hoc loco. ecclesiam ab idolatriae et
errorum confusione liberatam significat. Ecce alienigenae. et t. et p. e. h. f. i. Illic inquit id est in sancta ciuitate fu
erunt alienigenae. et tyrus. et populus ethiopum. Per alienigenas designantur gentes. quae per errorem idolatriae longe
a deo factae fuerunt. de quibus dicitur. Uocabo non plebem meam. Populus ethiopum significat gentes ex gentibus. quondam horribi
les et teterrimi erant peccatis. sed dealbati uirtutibus coeperunt esse ciues dei. Numquid syon dicet homo. Syon hic in
tellegitur synagoga. Cum inquit uiderit christum synagoga natum. numquid dicet homo tantum est. Dicet utique. Et homo
natus est in ea. Christus uerus deus. et uerus homo natus est in ea. id est in ciuitate ierusalem. iuxta quod sequitur. Ipse funda
uit eam altissimus. Ipse uidelicet qui est uerus homo. passus per humanitatem. et altissimus per diuinitatem. Fundauit

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 185 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/185)